LEOPOLDI ANDREAE GUADAGNI IN ILLUSTRI ACADEMIA...

Leopoldo Andrea Guadagni

ORATIO

Uum pridem, Clarissimo Viro ad summum sui Ordinis pietate, & doctrina conspicui fastigium evecto, Praesul Amplissime, doctissimi Patres, Auditores humanissimi, vacationem quoque obtinentibus ijs, qui hoc laeto, atque auspice die, quo studia vertentis anni inchoamus, orationem habere poterant elegantissimam, summa Auctoritate mihi injunctum ex insperato esset munus hodierna celebritate verba ex hoc amplissimo loco faciendi, animum tenuitatis suae conscium ea statim subiit cogitatio, quae sane ab ipso adgrediendo munere plurimum deterrere, & dubium, atque haesitantem in varias, diversasque partes trahere videbatur. Obversabantur paene oculis summi Viri omnis doctrinae, atque eruditionis principes, qui remotas etiam gentes, nationesque disciplinis omnibus excultas

non

non gloria modo, & splendore nominis sui, verum admiratione compleverunt, iidem, qui vel nostra, vel patrum memoria hoc ipso fere die, in hoc bonarum artium theatro, ex hoc ipso suggestu anniversariis sapientiae laudibus consecratam habuere concionem. Audiebam propemodum Bargaei, Bulengeri, Chimentellij, Gronovij, Averaniorum, Politi, Corsinij, aliorumque sexcentorum vocibus Divinae, humanaeque sapientiae indicibus hos ipsos parietes personare. Quid unquam est, quod vel ad sapientiae laudes celebrandas, vel ad cohortandos ad studia litterarum, Ornatissimos Adolescentes pertineat, quod illi intentatum reliquerint, immo quod exquisito dicendi genere non sint prosequuti? Quamquam vero haec omnia, quae tacitus dissimulare nullo modo possum, sollicita cogitatione complecterer, planeque sentirem quid sit, summis praesentibus Viris ex eo loco dicere, in quo Graecae, Latinaeque dicendi Facultatis, & copiae non leviter impressa vestigia cernuntur, facile tamen intelligebam, jus mihi, fasque non esse, munus hoc detrectare, simulque non eram nescius, fore, ut dicendo quidem in varias reprehensiones incurrerem, tacendo etiam crimen admitterem. Neque idcirco quadam veluti vi, ac necessitate adducebar,

bar, ut litterarum laudes, quae nullius augeri eloquentia posse videntur, beata sententiarum copia recenserem. Lucent ipsae per se praeclarissimae disciplinae, fuse, lateque patet earum dignitas, amplitudo, majestas, quae vel ab invitis, & hebetioribus laudem, & admirationem extorquet, ut opus minime sit, qua illustretur, tenui, & incerta luce orationis: Nisi quis forte objectum sibi velit, quod Lacedaemonium Antalcidam, quum Herculis encomium Sophista quidam esset recitaturus, dixisse Plutarchus [1] tradit, quis nempe illum vituperat? Quamobrem in tanto disciplinarum splendore, quantus ipsis post earum instaurationem per unum, & alterum ferme saeculum accessit, futurum operae pretium censui, non tam hortari eos, qui sapientiam sibi comparare student, quàm admonere, non tam curare, ut ipsi bonarum artium ardore sua sponte excitati magis, magisque inflammentur, quam subvereri, ne subsidia, quae ad ipsas comparandas hac aetate plurima suppetunt, eos ad inertiam quodammodo adducant. Hoc igitur vobis, Adolescentes, cavendum esse ostendam, ne adjumenta ipsa

*3 doctrinae,

[1] *In Apophthegm. Regum, ac Imperator. Tom. 2. Oper. pag. 192. Edit. Lut. Paris. a. 1624. & in Apophthegm. Laconicis, pag. 217.*

doctrinae, animorum ardorem, & acrem illum, quem adrubistis, impetum sensim retardent, imminuant, extinguant: quod dum praestare conabor, Auditores, quaeso, patientes, & aequas aures quam attentissime praebeatis.

Ac ne incerta diu vagetur oratio, haec imprimis litterarum subsidia appello, Versionum copiam, quae veteres, Graecos praesertim, Auctores non latino tantum sermone, sed hoc nostro vernaculo repraesentare videtur: disciplinas quasdam, quae veluti instrumentorum vicem obtinent. multitudinem librorum. brevia docendi compendia. vivam denique Magistrorum vocem, quam habere nescio quid ἐνεργὲς, & in aures discipulorum de auctoris ore transfusam fortius resonare, haud immerito scripsit doctissimus nostrae Religionis Interpres Hieronymus.[2] Omnia haec veluti doctrinae adminicula, haec adjumenta bonarum artium, haec ad augendas disciplinarum vires oblata praesidia, has omnes universae Encyclopaediae mole sua laboranti suppetias non is ego sum, qui despiciam, quas nemo sanus indiscriminatim umquam contempserit. immo vero,

[2] *In Epist. ad Paulinum.*

vero, modo rectè se habeant, maximopere etiam commendo, quum facem quasi praeferant optimarum facultatum studijs, atque tot, tantisque subsidijs bene vobiscum actum sit, Adolescentes, qui si ijs careretis, commodior vobis proficiendi ratio, ac via prorsus intercluderetur. Enim vero quae bene, ac sapienter excogitata sunt, quae multis, magnisque laboribus conquisita, quae ad virtutem, vel ad sapientiam consequendam inventa praeclare, factum saepenumero est, ut quemadmodum vasa, & impedimenta alioquin utilia, ac prorsus necessaria, militaribus copijs, ita haec litterarum studiosis non modo majorem gloriae fructum intercipiant, sed ijs ingenti spe deturbatis magno sint detrimento. Palaestricae quondam, atque gymnasticae exercitationes ad militarem peritiam, & bellicam virtutem adsequendam excogitatae fuerunt, [3] ut civium corpora frequentibus laboribus confirmata patriae munimento, socijs auxilio, hostibus terrori esse possent. [4] Gymnasticam ideo tum Plato [5]

 saepe,

[3] *Plato de Legib. Dial. 1.*
[4] *Cic. Tusculan. lib. 2. Quintil. Inst. Orat. lib. 1. ca*
[5] *In Protagora. De Rep. Dial. 3. & de Legib. Dial*

saepe, tum Aristoteles, [6] aliique veteres [7] mirum in modum commendarunt, ac pugilatum, luctam, & cursum rei militaris simulacra, & meditationes esse, atque idcirco in iis tribus recensendis eumdem semper ordinem ab Homero servatum gravis in primis auctor existimavit Plutarchus, [8] quòd praeliantium primum illud sit ferire, & cavere, alterum impellere se mutuo, & sternere, tertium vero fugam adripere, si vincantur, aut insectari si vincant. Verum, quae hominum perversitas est, Graecorum filii omne suum studium a militari virtute ad inutiles exercitationes transtulerunt, Eleo illi Tisameno haud longe absimiles, qui quum ab oraculo accepisset, in quinque praeclarissimis certaminibus victorem futurum, Pythiae verba non ad vera praelia, sed ad quinquertium in Olympicis ludis perperam referebat. [9] Itaque positis adeo nugari Graecia bellis coepit, & in vitium fortuna labier aequa, [10] ut ipsi pro strenuis militibus se bonos

[6] *Politicor. lib. 8. cap. 4.*
[7] *Socrates apud Athenaeum Deipnos. lib. 14. Xenophon apud Stobaeum serm. 29. de adsiduit. & dileg.*
[8] *Convivial. Quaest. lib. 2. Quaest. 5. pag. 639.*
[9] *Herodot. in Calliope. Pausanias in Laconicis cap. 11.*
[10] *Horat. lib. 2. Epist. 1. v. 93.*

nos Palaeſtritas dici mallent, [11] Olympionicas, Tullio teſte, [12] prope majorem gloriam conſequutos cenſerent, quàm ij, qui Romae triumphaſſent, victores Athletas ad Deos terrarum dominos evcherent, atque, ut eſt apud Lucianum, [13] Dijs ipſis aequarent. Atque haec in exercitationibus ad bellicam virtutem comparandam inventis uſuveniſſe, compertum eſt. Quid in ijs, quae vel ad ſapientiam, vel ad facultatem dicendi excolendam inſtitutae primum fuerunt? Inventae Philoſophicae Diſputationes, ut homines ratiocinando veritatem in profundo latentem inquirerent, & Philoſophia a rebus occultis, & ab ipſa Natura involutis ad mores componendos a Socrate quondam tranſlata. [14] Quid porrò a veritate inquirenda homines longius abduxit, quàm Chryſippi, aliorumque Stoicorum laquei, [15] & contentioſa rabies, diſputationeſque Megareorum pugnaces? [16] Quid, ut animadvertit Varro,

[11] *Alexand. ab Alex. Gen. dier. lib. 2. cap. 25.*
[12] *Orat. pro L. Flacco.*
[13] *In Anacharſi, ſeu de Gymnaſijs.*
[14] *Cic. Academic. Quaeſt. lib. 5. Sidonius Apollin. in Epithal. Polemij, & Araneolae, Carm. 15.*
[15] *Cic. de Orat. lib. 1. & de Fato. Gell. Noct. Attic. lib. 1. cap. 2.*
[16] *Laert. lib. 2. in Euclide.*

ro, [17] tam infandum somniat aegrotus, quod olim non aliquis dixerit veterum Philosophorum? Inventae sive a Demetrio Phalereo [18] Theophrasti discipulo, [19] sive circa ipsius Demetrij tempora ab alio quovis, [20] inventae ad conservandam, augendamque dicendi facultatem Declamationes. pertractatae frequenter exercitationis caussa fuerunt nullis definitae personis, vel temporibus Theses [21] eodem comparandae, tuendaeque eloquentiae studio fere numquam intermissae Ciceronis aevo Caussae, [22] Senecae Rhetoris tempore Controversiae [23] Quid vero magis, quam adsiduus declamandi, earumque exercitationum usus eloquentiae vires infregit? [24] Sed quid exemplis in re minime dubia utor non necessarijs? Nihil est tam sapienter inventum, nihil tam utile, tam sanctum, quod vel ignavia pessumdare, vel stultitia labefactare, vel audacia

in

[17] *Varro Eumenid. apud Nonium Marcellum, pag. 84. v. 11. Edit. Plantin a. 1565.*
[18] *Quintil. Inst. Orat. lib. 2. cap. 4. in fine.*
[19] *Cic. lib. 1. de Offic. in princ. Laert. lib. 5. in Demetrio.*
[20] *Quintil. laud. loco.*
[21] *Sueton. de Clar. Rhet. in princ.*
[22] *Cic. in Bruto, & Epistol. ad familiar. lib. 9. Epist. 16. lib. 16. Epist. 21.*
[23] *Seneca in Praefat. Controv.*
[24] *Auctor Dial. de Oratorib.*

in perniciem convertere non dubitaverit. Jam si rei militari, si veritatis contemplationi, si morum disciplinae, si eloquentiae, hominum vitio quondam accidit, ut eaedem ipsae nocerent, quae ad confirmanda corpora, quae ad verum investigandum, quae ad adsequendum finem bonorum, quae ad ornate, copioseque dicendum comparatae erant rationes, sperabitis, Adolescentes, paulatim subrepente disciplinae taedio, & magis, magisque otij dulcedine blandiente, licet praestantissima sint quaesita hactenus doctrinae subsidia, nullum tamen creari posse periculum, ne adjumentis ipsis contenti a majoribus exantlandis laboribus abducamini, & ea praetermittatis incauti, quae vos possent amplissimis sapientiae opibus locupletare? Quid ni potius ex alienis malis utilitas vobis capienda sit Platonis exemplo, [25] qui quum in alicujus facto, vel dicto vitium animadvertisset, numquid & ego talis ajebat? Quid ni Plutarcho, [26] hoc est eruditissimo Philosophorum pareatis bene, & salubriter admonenti, ut quae alijs in caussa aegrotandi fuerunt, audientes, ea discamus cavere, ne in eumdem,

quo

[25] *Plutarch. in Praeceptis de tuenda sanit. pag.* 129.
[26] *Plutarch. laud. loco.*

quo ipsi laborant, morbum & nos incidamus? Verum ne quis putet adolescentibus optimis magno animi ardore ad sapientiam contendentibus, qui non voluptatum illecebris, sed virtutis amore ducuntur, nihil esse metuendum, ad quod pedes allidant, nihil reformidandum, quod ipsorum cursum retardet, hac praesertim aetate, quae solertiam veterum, ingeniumque in comparandis doctrinae praesidiis non aequavit modo, sed etiam longe, lateque superavit. peropportunum erit propius inspicere, & expendere diligenter, quaenam sint ea pericula, quae praecavenda esse adfirmamus.

Nulla fere extant Graecorum veterum scripta, quae non dico a mediocriter eruditis hominibus, inter quos rarus est, qui in iis transferendis non saepe caecutiat, verum a doctissimis etiam viris in latinum sermonem conversa non sint. Serpit idcirco, & malo litterarum fato in dies increbrescit quorumdam opinio non modo humanioribus litteris inimica, sed ceteris etiam praeclarissimis disciplinis periculosa, inanem esse, & supervacaneam operam, quae in Graecae Linguae studio impendatur. Quid refert, inquiunt, eamdem sententiam uno, an altero, Auctorum prisco, an recentiore Interpretum sermone expressam

pressam circumferri? Non verba, sed res ipsas quaerimus, non de vocibus, sed de optimis disciplinis disputamus. Desipiunt qui existimant, si vel unam aliquam voculam interpres vel pro arbitrio prorsus omiserit, vel minus recte reddiderit, fore, ut scriptoris alicujus sententia perinde corruat, ac si ex aedificio columnam, aliamve substructionem forte amoveris, ac subtraxeris. Stupidus plane, atque bardus apud Platonem [27] Socrates, qui nominum disciplinam haud parvam rem esse deblaterat, & medius inter Hermogenem, & Cratylum de recta nominum ratione copiose differit. Nugas Jurisconsulti agunt, qui in patefacienda singularum vocum vi, ac proprietate multi sunt, & adsidui, qui una cum Stoicis ad syllabarum distinctiones, & conjunctionum, & praepositionum proprietates descendunt, & Grammaticis quodammodo invident, [28] qui demum prope in singulis litteris, atque interpunctionibus verborum occupati sunt. (29) Nos providi, qui maximum hunc esse quaestum duximus, brevi, & expedita ratione, magnoque temporis compendio, universas Graeciae opes, & copias

[27] *In Cratylo.*
[28] *Seneca ad Lucil. epist.* 88.
[29] *Cic. pro L. Muraena.*

pias in Latio comparare. Nos profectò sapientes, quibus non frondes, ac folia, sed solidos, maturosque fructus decerpere, & acervatim cogere, consilium fuit. Quae dum ita efferuntur, avocantur proinde a Graecis fontibus lectissimi juvenes, quibus, ne hujusmodi vocibus obsecundent, ne parum cauti inducantur in fraudem praecavendum omnino est. Nisi forte infulsum, atque ineptum Marsyae tibicinis strepitum, hoc est vulgi opinionem praeferendam esse existiment suavissimis Apollinis carminibus, hoc est sapientissimorum hominum consiliis, Melchioris Cani, (30) qui Theologiae studio addictis, Antonii Augustini, (31) qui Jurisprudentiae adpetentibus, Mercurialis nostri, qui exemplo suo Medicinae cultoribus Graecae Linguae studium maximopere commendarunt, aliorumque etiam plurium, qui post editas jam tot versiones Prieneam, (32) nempe justissimam ejusdem Linguae caussam tuentur. Ac profectò etiamsi ultro daremus, quod raro quidem concedi potest, interpretem aliquem Auctoris mentem semper adsequutum fuisse, numquam dormitasse, vere tamen

(30) *De Locis Theologicis lib. 2. cap. 15.*
(31) *Emendat. lib. 2. cap. 1.*
(32) *Lib. 1. in Examine.*

men adfirmari posset, planeque ostendi, quaedam saepe in versionibus usurpata esse, quae ancipitem deliberandi curam relinquunt, in ipso autem Graeco fonte minime omnium ambigua sunt: non pauca reperiri, quae licet Latine expressa, nisi Graecam originem repetamus, vix, ac ne vix quidem percipi, deprehendique possunt: pleraque a diversis diversè translata, ideoque, ut Hieronymi verbis utar, (33) magis ea tabunt ignorantes, quis e multis verius dixerit: innumera denique haberi, de quibus tuto judicare, & ex iis ab omni procul haesitatione certas ducere conclusiones non licet, quum vis argumentorum saepe tota pendeat ab ipsius linguae usu, & innata proprietate verborum. Quid? quod apertè Quintilianus, (34) non omnia, inquit, nos ducentes ex Graeco sequuntur, sicut ne illos quidem, quoties suis utique verbis signare nostra voluerunt? Quid Gellius? (35) nonne ait, Graeca rerum vocabula non paucissima esse, quae neque singulis verbis, neque si maxime pluribus eas res verbis dicamus, tam dilucidè, tamque apte demonstra-

n

[33] *Ad Lemmonem, & Rogatianum, in Esdram, & Nehemiam Praefat.*
(34) *Inst. Orat. lib. 2. cap. 14.*
(35) *Noct. Attic. lib. 9. cap. 9. lib. 11. cap. 16.*

ri Latina oratione possunt, quàm Graeci ea dicunt privis vocibus? Quid de sacris Codicibus veteres Ecclesiae Patres? Nonne Hieronymus, (36) Hilarius, (37) Ambrosius, (38) una mente, unaque voce testantur, Latinum sermonem plenam Graecae litterae intelligentiam non reddere, Latinos non posse in omnibus vim Graeci sermonis exprimere? Exemplis, quae in hanc rem adferre plurima possem, supersedeo, quum ea, forte, quae hactenus dicta sunt, satis efficere posse videantur, ne versionum subsidia a Graecae Linguae studio avertant, ne nos versionibus ipsis omnino committamus, ne fiduciam omnem in iis collocemus.

Sed jam ad eas Facultates accedo, quae magnum ceteris disciplinis adferre praesidium valent. non omnes tamen, verum duas tantum attingam, quae praecellentissimae quidem sunt, sed periculi longe plenissimae videntur, quarum alteram invenerunt Philosophi, ut homines non solum in rebus singulis immorarentur, sed universalia contemplari condiscerent, certumque in cogitando

(36) *In Commentar. ad Epist. ad Ephes. & lib. 1. adversus Jovinian.*
(37) *In Expositione Psalmor. plurib. in locis.*
(38) *In Explanatione Psalmi 118.*

do ordinem servarent: alteram accuratiores Grammatici tradiderunt, ut quae genuina, quae spuria, quae sincera, quae depravata veterum scripta sint, quibus rationibus emendanda, quae priscorum Auctorum ubique sententia fuerit, utrum ad regulas artis, quam profitebantur, legesque rectae rationis iidem scripserint, facile dignosci possit, recteque dijudicari.

Perutile profecto dixerim, planeque necessarium, communes, & universales notiones a singularibus secretas diligentissime contemplari: ita certis probe constitutis effatis, praesentia erroribus vitandis praesidia parantur, & omnia in quasdam veluti classes accuratissime tribuuntur. Danda tamen opera est, ne inconsulte, ac temere judicemus, in singulis rebus quidpiam inesse, quod notioni, quam seorsim ab iis animo concepimus, simile videatur; nihilve putemus in rebus ipsis praeter id, quod in notionibus illis inspicimus. Etenim quae opinionum portenta, quae monstra, quam multa, quae tametsi mentem acuere videantur, eam tamen potius obtundant, illa profecto non excitaverit, non in scenam induxerit, qui formas a se magno licet apparatu excogitatas, notionesque mente comprehensas pro rebus ipsis obtrudat, atque res ita omnino se

† habere

habere existimet, non ut revera sunt, sed ut ingeniose, nimiumque fidenter commentus fuerit? Inutilem idcirco experietur scientiam alioquin longe utilissimam, atque, ut est apud Aristophanem, (39) ἀεροβατεῖν, idest per aërea incedere videbitur, & in summa inanitate versabitur, qui in hac una disciplina, quae generalia tantum pronuntiata proferat, quasi tabernaculum vitae suae collocaverit, & accuratissimam rerum singularium cognitionem neglexerit. Neque enim facile existimandum est, universalium contemplationem quidquam prodesse posse, nisi quis diligenter singularum rerum indolem, nisi quae pertinent ad praeteritorum memoriam temporum, ad praesentes hominum mores, nisi quae versantur in recepta consuetudine, in scriptis legibus, in actibus animadverterit, optimeque comprehenderit. Quarum profecto rerum, quae in facto plerumque versantur, cognitione qui careat, idemque velit de iis, quae ratio sola deprehendere minime potest, universalibus tantum principiis innixus disserere, nae ille risum, atque ludibrium vel imi subsellii hominibus debebit, non

secus

(39) In Nubib. pag. 54. Edit. Florent. a. 1525.

fecus ac olim Alexander, aut Megabyzus, qui quum in Apellis officina de arte pingendi imperite multa differeret, a pueris colores terentibus ridebatur. [40]

Quid vero de Critica Arte loquar, disciplinarum ferme omnium administra, quae cunctarum aetatum doctrinas, & artes protraxit ad nostrorum temporum lucem? Ea quidem nescio quos spiritus addere paulo impudentioribus solet. ejus ope non populi suffragijs, sed vi, non ut annua tantum, ac semestris Æmilia Lege, (41) sed ut perpetua eorum potestas sit, creantur Censores. Adeo ne doctissimi Viri summis laboribus, atque vigilijs artem hanc praestantissimam excoluerunt, ut adolescens quilibet a ceteris disciplinis imparatus non sapientum, sed suo fidat judicio, ut uno eodemque die gessum discat, atque prodeat in scenam, ut posito vix tirocinio a Velitibus ad Triarios transferatur, ut quae minus intelligit, & Delio natatore (42) indigere eidem videantur,

† 2

(40) *De Alexandro, & Apelle id narrat Plinius Nat. Hist. lib. 35. cap. 10. De Megabyzo, & Apelle Plutarchus in lib. de Tranquillit. & serent. animi, & in lib. quomodo adulat. ab amico internosc. De Megabyzo, & Zeuxide, Aelianus Var. Hist. lib. 2. cap. 2.*
(41) *Livius lib. 4.*
(42) *Laert. lib. 2. in* Socrate.

videantur, profcindat, obelis confodiat, & jugulet, ut demum, quod apud Graecos mirari fe Anacharfis ajebat, [43] artifices certent, judicent vero qui minime funt artifices? Atque utinam hac arte ipfa non fuiffent umquam abufi, eamque adeo non elevaffent, eique non minuiffent fidem folertiffimi alioquin Interpretes nonnulli, truculenti, audaces, & noxii, quorum cruentae faepe manus fcindere, urere, fecare, & in optimos quofque libros graffari adeo confueverunt, ut nec a Legibus quidem, nec ab Hagiographis, & Canonicis fcriptis abftinuerint. Innumeris profecto hodie careremus affanijs, (44) nec quod de Homeri Rhapfodia Arato refpondiffe Timonem ferunt, (45) de libris plerifque ufurpari liceret, bene ei confultum effe, qui in antiqua inciderit exemplaria, non autem in ea, quae nuper funt emendata.

Quod fi metuendum maxime eft, ne qui, neglectis difciplinis ceteris Criticae in primis ftuduerint, praecipiti confilio injufta exerceant judicia,

(43) *Laert. lib. 1. in Anacharfi.*
(44) *Chriftophor. Riccius Vindiciar. Juris Praemeffa dedit adverfus Novator. affanias. Thef. Jur. Rom. Ev. Ottonis, Tom. 2.*
[45] *Laert. lib. 9. in Timone.*

dicta, inflentur inani opinione sapientiae, quoslibet vero tamquam longe infra se positos despiciant, ac se putent solos sapere, ut Homericus ille Tiresias, (46) reliquos velut umbras vagari, haud minus certe praecavendum, ne alii, qui vel nullo delectu habito plures lectitarint libros, vel in compendiaria doctrina omnem operam, ac studium collocant, semetipsos in fraudem inducant, quod omnium facillimum esse ait Demosthenes, [47] putentque sibi maximam disciplinarum copiam comparasse, magnifice se circumspiciant, & leberide inaniores [48] inani fastu efferantur. Eorum certe neutros veram adsequutos eruditionem censuerim, excelsam neutri obtinent doctrinarum arcem, quum illi saepe non quid verum, sed quid scriptum sit, pervestigent, hi vero aut bona pleraque cursim, & properantes transmittant, aut venena mala imprudentes interdum hauriant, aut saltem non ipsos fontes, sed rivulos consectentur. Atque ego quidem tum a plerisque eorum, qui lucubrationes suas publici juris fecerunt, tum ab eo, qui

† 3 typo-

(46) *Odyss. Lib. 10. v. 495.*
(47) *Olynth. 2.*
(48) *Athenaeus Deipnosoph. lib. 8. pag. 362. Edit. Lugd. a. 1612.*

typographicam primus excogitavit artem, bene posteritati consultum, minime omnium negaverim, sed & hinc permagna studiosis adolescentibus instare pericula, mecum quisque sanus fatebitur. Etenim haud levis momenti negotium est, ut falso quidam putant, vel non satis animadvertunt, librum aliquem legendum adsumere. Callimachum Grammaticum dicere solitum accepimus, [49] magnum librum magno malo esse parem: Quid ergo de ingenti, immensaque aliorum super alia acervatorum voluminum copia dicendum? Primo enim in subducendis rationibus diligenter animadvertamus necesse est, quanti sit, quam gravis, quam noxia jactura temporis, cujus inopia nullam majorem esse, quaelaboremus, praeclare ajebat Stoicorum princeps, & auctor Zeno. [50] & sane si illud in versandis, qui bonae frugis expertes sunt, Codicibus conteramus, minus deinde supererit, quod in brevi hoc vitae curriculo in optimis collocetur. Illud subinde accedit, quod Aristippum dixisse ferunt, [51] non eum, qui multa, sed qui utilia legerit, sapientis nomine esse censendum. In multas

(49) *Athenaei Epit. lib. 3. in princ. pag. 72.*
(50) *Laert. lib. 7. in Zenone.*
(51) *Laert. lib. 2. in Aristippo.*

multas praeterea conjicietur difficultates qui re-ctum in legendis alioquin probatis libris ordinem non servaverit, sed alterum alteri perturbata se-rie praetulerit. Quid si in unius, uti oportebat, lectione haud serio immoretur, huc atque illuc se conferat, alios subinde quaerat, ac Tejo ipsi Apelliconte mutabilior [52] vagetur? Nonne hic, veluti in peregrinatione vitam agentes, mul-ta, ut scripsit Seneca, [53] hospitia habebit, nullas amicitias? Quid porrò si in deteriorem aliquem incidat? an nisi optimis disciplinis inge-nium antea subactum sit, vel nisi Mercurius ali-quis Homericum illud Moly [54] suppeditave-rit, falsis opinionibus non irretietur, malumque non potabit mistum moerorem, perniciemque haud facile reparabilem? An non imparato cui-que cavendum, ne sibi illud rectè objici possit, quod a Theogneto Comico scriptum apud Athe-naeum [55] refertur? Laevas didicisti, o nequam, litteras, vitam evertere tuam libri, hoc est ad insaniam redegerunt.

(52) *Athen. Deipnos. lib. 5. pag. 214.*
(53) *Ad Lucil. Epist. 2.*
(54) *Odyss. lib. 10. v. 305. Ovid. Metam. lib. 14. v. 229. Plin. Nat. Hist. lib. 25. cap. 4. & cap. 10. Philostr. in Iroemto, Heroicor. pag. 663. Edit. Olearij Lipsiae a. 1709.*
(55) *Deipn. lib. 15. pag. 671.*

Jam ſicuti mentem confuſa, perturbataque librorum copia ſaepe diſtrahit, ac pravis quandoque inficit opinionibus, ut vobis proinde auctor ſim, Adoleſcentes, ne facile ſine docti alicujus, prudentiſque Viri conſilio ad libri cujuſpiam lectionem accedatis; ita ferme compendia, quibus latior doctrina contrahitur, impedimento quandoque ſunt, quominus vera protſus, & integra ſapientiae ſpecies mentibus exhibeatur. Quamvis enim Epitomarum ope, ad quas & Ephemeridas, quas vocant, & Lexica quaedam referre libet, facilior, modo ſint ea omnia ſumma diligentia, & arte conſcripta, ad optimas diſciplinas aditus pateat, ac praeterea, qui alter eſt compendiorum uſus, res jam perceptae, ſed e memoria elapſae in eam denuo commodius revocentur; in ijs tamen, quae hiſtoriarum teredines, ac tineae a Bacono [56] dictae ſunt, & non ſecus, ac fluvij levia plerumque, & natantia ad nos devehunt, quae vero maximum pondus habent, omnino ſubmergunt, ſitas eſſe ſapientiae opes cenſere, in ijs tantum verſari, quid eſt profecto aliud, quam leviore contentum eſſe notitia rerum, exilem, aridam, conciſam, ac minutam

(56) *De Augm. ſcient. lib. 2. cap. 6.*

nutam doctrinae partem inquirere, fontes non repetere disciplinarum, a vera, solidaque sapientia procul abesse, larvas, & simulacra persequi, tenues demum, & evanidas, volucrique somno simillimas umbras complecti? In compendiariis ejusmodi studiis vitam degant omnem, in iis consenescant, quibus satis omnino est eruditionis opinionem ambire, in circulis plausum captare aliquem, ac saepe levitatis suae, quemadmodum ajebat apud Ciceronem [57] Catulus, quamplurimos testes domestico praeconio colligere. At qui non vulgi rumusculos, sed veram sibi sapientiam proponunt, ejusmodi quidem compendia tamquam longioris viae comites quosdam adhibeant, maxime vero ad summos appellant latices, & primaevas potissimum origines repetant. Aliud est enim, praeclare inquit Cicero, [58] esse artificem cujusdam generis, atque artis: aliud in communi vita, & vulgari hominum consuetudine non hebetem, nec rudem. Neque vero audiendi illi sunt, quibus abunde esse videtur simplex quiddam ad tempus doceri, & pro re nata bibliothecas circumcursare ampliores, atque in

(57) *De Oratore lib.* 2.
(58) *De Oratore lib.* 1.

in librorum indicibus perreptare. Aliter enim, ut probe animadvertit Messala, [59] aliter utimur propriis, aliter commodatis, longeque interesse, manifestum est, possideat quis quae profert, an mutuetur. Ergo qui veluti majore quodam Numinis afflatu perculsi ad Divinarum rerum intelligentiam omnes cogitationes suas, atque omnia studia conferre velint, adeant quotidie Sacros tum veteris, tum novi Federis Codices, Pontificum, & Conciliorum Decreta, summos Ecclesiae Patres. Qui Civilis Prudentiae studio inflammantur, Justinianea volumina, classicos etiam, quos vocant, veteres scriptores non raptim, & dicis caussa, non Ægypti canis more, modoque, qui metu crocodilorum currens e Nilo bibit, non tantum ubi res postulat, sed serio, & accurate, sed continuo quasi tenore, ac spiritu, sed nocturna versent, diurnaque manu, quo sane studio leguleijs maxime praestant Jurisconsulti. Qui rerum naturalium scientiae dant operam, qui aegris medicas admovere manus meditantur, ipsam rerum Naturam, internam humani corporis fabricam, salubrium herbarum copiam admotis oculis vestigent, propius intueantur,

(59) *Apud Auctor. Dial. de Orat.*

tur, explorent. Caveant igitur adolescentes, diligenter caveant, ne utili quamtumvis compendiaria studiorum ratione sibi occludant penitiora sapientiae adyta, ne circumforaneam tantummodo notitiam verae, solidaeque doctrinae anteponant; ne satis loquentiae, sapientiae parum sibi comparent; ne opinionem copiae inter caussas inopiae esse, nimium sero cognoscant.

Atque haec non ego quidem jubeo; jubet ratio, quae apertè ostendit, multum referre, an fonte bibatur, qui fluit, an pigro, quae stupet unda lacu. [60] jubet sapientia, quae procul a se arcet eum, qui nolit abditos doctrinarum recessus perlustrare; jubent Pisanae Academiae sapientissimi Patres, nec tantum jubent, sed opem ferunt, & vobis quotidie purissimos fontes indicant, vos ad eos adducunt, eos vobis aperiunt: neque tantum publice, atque e superiore loco id praestant, sed Socratis exemplo [61] & privatim, & de plano, & ubique. Neminem severitate nimia, & Pythagorico interdicto, [62] gravique supercilio deterrent, quominus ei liceat, si quid non intellexerit, percontari: neminem aditu

(60) *Martial. lib. 9. Epigr. 78.*
(61) *Laert. lib. 2. in Socrate, & in Simone.*
(62) *Laert. lib. 8. in Pythag. Porphyrius in vita Pythagorae.*

aditu prohibent, neque Herodis illius Attici institutum probant, qui decem tantum discipulis post publicam acroasin, ceteris dimissis omnibus, vacabat seorsim, non diu quidem, sed ad clepsydram, qui proinde τῦ Κλεψυδρίυ μετέχοντες Clepsydrij participes a Philostrato [63] nuncupantur. Non venales, ut quondam apud Aristippum, [64] atque Athenionem, [65] sed gratuitae in hoc clarissimo disciplinarum emporio sapientiae merces exponuntur. Non una tantum, vel altera, sed quidquid est optimarum omnium Facultatum, quidquid earum veluti partibus continetur, in hoc sapientiae domicilio, summa IMPERATORIS CAESARIS FRANCISCI, Pij, Felicis, Augusti erga litteras, litteratosque homines liberalitate, ac singulari erga Pisanum Lyceum benevolentia amplissime traditur, & exornatur. Ea quippe factum est, ut non solum quae huic olim patebant, eximiae disciplinae etiam nunc maxime floreant, sed superadditis etiam Astronomiae, Analyticae Matheseos, Juris Publici, Pandectarum,

(63) *In vitis Sophistar. lib. 2. in Pausania, pag. 544. Edit. Olearii Lips. a. 1709. Adde eumdem Philostr. eod. lib. 2. in Hadriano pag. 585.*
(64) *Laert. lib. 2. in Aristippo.*
(65) *Athenaeus Deipnos. lib. 5. pag. 212.*

rum, Experimentalis Physicae studijs, & amplio-
re Feudorum tractatione, latius adeo propaga-
tis finibus efferantur. Quamobrem nisi quibus, ut
in celebri de Oratoribus Dialogo habetur, vete-
ra semper in laude, praesentia in fastidio sint, aut
quibus illud adrideat, quod recte improbat Pin-
darus, (66) indigena vituperare, atque irrita spe
circumspicere quae procul absint, immensam heic
disciplinarum copiam suspiciunt omnes, & admi-
rantur. Nostra haec aetas, hic locus omnibus
profecto subsidijs, omni doctrinarum genere prae-
stat, adfluit, abundat: hoc ipso tempore, in hoc
bonarum artium domicilio praeclara vobis offer-
tur, Adolescentes, occasio proficiendi, vos ad stu-
dium omnigenae eruditionis aperta discendi ratio
adlicit adeo, atque invitat, ut quae summi Viri
diuturno studio, plurimo labore, multis vigilijs
excogitarunt, ea vobis liceat, ut est apud Isocra-
tem, [67] temporis quasi momento, nulla dif-
ficultate percipere. Vobis ergo consulite, nec si-
nite hanc discendi opportunitatem praetervehi,
ne postmodum frustra poeniteat, eam neglexis-
se; ne vobis etiam probro, ac dedecori futurum
sit

(66) *In Pyth. Ode 3. Epode 1. Adde Plin. lib. 8. epist. 20.*
(67) *Ad Demonic.*

sit quod Atheniensibus objiciebat olim Demosthenes, [68] occasiones, & commoda oblata esse plurima, quod vero amissum fuerit, id negligentiae vestrae jure tribuendum; ne denique unde sapientiam haurire debetis, insipientiae culpam contrahatis. Et sane quum saepe homines in ea sententia sint, ut quo majora sibi parata sunt commoda, eo majorem quiescendi occasionem nactos esse arbitrentur, atque adeo, quemadmodum apud Tacitum legitur, (69) invisa primo desidia, postremo ametur, adhibenda idcirco ea cautio est, ne ad sapientiam & gloriam adsequendam satis existimetur esse auditionem non intermissam, neque huic adjungi oportere optimorum Auctorum lectionem, & diu meditandi, & commentandi, & disserendi laborem. Est ea bonarum artium conditio, ut quibus rationibus inventae, ac traditae sunt, iisdem facile retineantur, sin rationum earum pigeat, sensim debilitentur, infrangantur, & pereant. Adsidua meditatione, summis laboribus, industria, solertia comparatae, & ad eum, in quo hodie summa cum dignitate, atque praestantia

(68) *Olynth.* 1.
(69) *In vita Agricolae.*

ftantia eminent, gradum adductae funt difcipli-
nae, qui eas aluere non folum audita recolere,
fed multa folerti, providoque confilio legere, ob-
fervare, meditari, commentari, differere con-
fueverunt. Anne putatis, Adolefcentes optimi,
ei, qui ingentes velit divitias cogere, operam
operae, ceu monet Hefiodus, (70) addendam
fubinde effe, ei vero, qui multo praeftantiores
doctrinae opes congerere, partas tueri cupiat,
quum vix laborem aliquem in audiendo con-
fumpferit, fi modo is labor dicendus eft, igna-
vae quieti indulgendum? An committetis, ut
quae funt parata adjumenta vos tamquam Sire-
num cantu, & Circaeis poculis delinitos ad iner-
tiam adducant? verfiones a ftudio linguarum
avocent, praeclara optimarum Facultatum in-
ftrumenta vobis fraudi fint, diftrahat animos
multitudo librorum, compendiaria ftudiorum
ratio a fontibus abducat, Magiftrorum doctrina
a domeftico, & quotidiano ftudio prorfus aver-
tat? Providendum effe Jura clamant, ne inde in-
juriarum nafcatur occafio, unde Jura nafcuntur:
(71) Quod favore quorumdam conftitutum eft,
nolunt

(70) *In Operib. v. 380.*
(71) *L. meminerint 6. C. unde vi.*

nolunt ad laesionem eorum inventum videri. (72) Vos ea, quae faciliorem rationem, quae tutiorem, quae breviorem viam, quae ampliores sapientiae copias, quae uberiores fructus pollicentur, vos in damnum, vos in perniciem vestram convertetis? Immo vero pro summo, quo inflammati estis, ardore discendi, vestrum erit tot jam, tantisque subsidijs non ad remittenda, sed ad intendenda studia moveri. Vestrum erit cavete, ac declinare, ne vos improvidos occulto quodam, & dilabente sensim torpore occupet ignavia, ne vos praestigijs decipiat, ne ingenii florem depascatur inconsulta securitas. Vestrum existimare, plura a vobis, quos tot praesidia circumstant, quam a veteribus, qui illis destituebantur, sapientiam ipsam, quasi plura fenerantem, exigere. Vestrum denique erit, quod faxit D. O. M. vos omni virtutum genere, & optimarum facultatum gloria florere.

[72] *L. quod favore 6. C. de Legibus.*